

etiam; quia solemnitas quae requiritur in actu, requiritur in ejus distractu: text. est in leg. *Heredes palam*. §. *Si quid poss.* ff. de Testament. text. in leg. *Solent*. ff. de Offic. Proconsul. text. in leg. *Si ad resolvendum*. Cod. de Praediis minor. text. in leg. 2. Cod. de Codicillis. text. in leg. *Si iudex*. Cod. Commit. vel Episcop. text. in §. *Ex eo autem solo*. Institut. Quib. mod. testam. infirmat. text. unicus in suo casu in leg. 4. §. *Si forte*. ff. de Damn. infect. ubi dicitur, quod ejusdem naturae est revocatio possessionis, cuius fuit missio: & ad hoc notant & commendant ibi DD. & reputat unicum Paul. de Castr. in leg. *Jubere cavere*. ff. de Jurisd. omn. judic. Ergo sic dicamus in nostro casu, quod sicut in acquisitione & translatione domini requiritur traditio, sic etiam requiritur in privatione & revocatione ejus; & ex solo pacto & conventionione partium non amittatur.

Ex quibus infero singulariter, quod in casibus in quibus ex solo titulo sine traditione vera vel ficta transfertur dominium, qui habentur & notantur per Glossam & DD. in leg. *Si ager*. ff. de Rei vindicat. & in leg. *Traditionibus*. Cod. de Pact. in eisdem potest impediri alienatio & translatio domini solo pacto & conventionione partium: Et in terminis ita tenet Bald. in leg. *Peto*. §. *Fratre*. ff. de Legat. 2. §. *oppos.* & ibi Joan. de Imol. 2. col. Jas. qui valde commendat in leg. *Filius familias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. 2. lectur. 19. col. num. 90. & ibi Ripa 19. col. num. 92. versic. 6. *limita*. Ex quibus etiam infero, quod in casibus, in quibus ex solo titulo constituitur jus in re sine traditione, ille praefertur qui est prior in titulo. Ex quo primò deducitur & inferitur, quod si vendatur res Ecclesiae, & postea alteri, praefertur Ecclesia, licet actualiter sit facta traditio argumento text. & ibi communis opinio in leg. *fin*. Cod. de Sacrosant. Eccles. Secundò deducitur & inferitur, quod si eadem res pluribus pignoretur & obligetur, primus praefertur, licet secundo sit prius tradita: quia in hypotheca solo titulo & contractu constituitur jus in re: text. in leg. 1. ff. de Pignor. action. text. in leg. *Si tibi*. §. de Pignore. ff. de Pact. text. in leg. *Contrahitur*. ff. de Pignorib. text. in leg. 4. ff. de Fide instrumentor. text. in leg. *Iusto*. §. *Non mutat*. ff. de Usucapionib. Tertio deducitur & inferitur, quod si in primò titulo vel contractu sit aliquis actus, vel clausula translativa possessionis, vel quaelibet alia per quam de jure

constituatur jus in re; ille praefertur secundo cui res sit actualiter tradita. Quarto deducitur & inferitur, quod si ex traditione non causetur jus in re, praefertur primus, licet secundo sit tradita: ut in eo qui rem locavit duobus; nam primus praefertur, licet secundo sit tradita; quia ex traditione non sequitur jus in re conductori: & in terminis ita voluit solus Jas. in dict. leg. *Quoties*. Cod. de Rei vindicat. 8. col. dicens esse singulare & quotidianum, & ab alio non tactum: Sed ante eum hoc idem voluit Bald. in leg. *Emptorem*. Cod. Locati. 2. col. Sed contrarium tenet expressè Socin. in consiliis suis. consil. 29. 4. volum. & certè opinio Socin. videtur verior & tenenda: (k) quia actio personalis non sequitur fundi possessorem, nec detentorem, ut in leg. *fin*. §. *fin*. ff. de Contrahent. empt. cum similib. & sic non potest intentari contra secundum conductorem, sed tantum contra locantem obligatum. Si verò res non esset tradita, primus debet praeferi, per text. in leg. *In operis*. ff. Locat. quem ibi reputat singularem Bart. & alii DD. & idem esset in re pluribus vendita, sed non tradita: quia si concurrant, prior debet praeferi: licet secus sit in pluribus creditoribus personalibus in quantitate; quia omnes concurrunt, ut in leg. *Privilegia*. ff. de Privil. credit. & in leg. *Procuratoris*. §. *Si plures*. & §. *Planè*. ff. de Tribut. & in leg. *Quidam fundum*. ff. de In rem verso.

Nec praedictis obstat text. in leg. *penult*. Cod. *Si mancip. ita fuerit alien.* ubi habetur, quod si vendatur & tradatur servus eo pacto & conventionione, ne alienetur, impeditur ejus alienatio, etiam pia, ut est datio libertatis: Quia respondeo, quod vera ratio decisiva illius text. est, quod si semel libertas esset data & competere, esset irrevocabilis: undè merito à Jure impeditur: & in expressò ita tenet & respondet ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Tenet etiam & respondet Glossa ordinaria, in leg. *Ea lege*. Cod. de Condict. ob caus. & ibi Petr. de Bellapert. & Jacob. Butr. Bart. Angel. Salycet. & communiter DD. Bart. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligat. 2. col. num. 3. & ibi Angel. Imol. Alexand. & Jas. 9. col. num. 34. & idem probat & dispennit etiam text. in leg. *Servus hac lege*. ff. de Manumissionib. text. in leg. 4. §. *In illis*. §. *fin*. ff. *Qui & à quibus*. text. in leg. 1. & 2. Cod. *Qui non possunt ad liber. perven.* text. in leg. *Si servum*. ver-

(k) Et sic tenet etiam tom. 2. *Variar. cap. 2. num. 12.* & aliis relatis, & Covarrub. lib. 2. *Variar. cap. 19. num. 8.*

versic. *Sed et si sit*. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. *Contra voluntatem*. Cod. de Testament. manumis. text. in leg. *Libertas*. ff. de Regul. jur. 17. Secundò non obstat text. subtilis & difficilis in leg. *fin*. Cod. de Pact. inter emptor. & venditor. ubi disponitur, quod si vendo rem meam pacto apposito, ut emptori vel alteri tertio non liceat in ea facere Ecclesiam vel Monumentum, tale pactum valet & tenet, & debet praecise servari: Quia ad illam legem potest primò sic responderi; quod ibi pactum fuit appositum in traditione rei meae tempore traditionis; unde valet & tenet tanquam in continenti appositum: ita respondet Glossa ordinaria; in dict. leg. *penult*. ff. de Pact. & ibi plures DD. Sed ista solutio aperte est falsa, quia omnia jura superiora loquuntur in eisdem terminis, quando pactum apponitur tempore traditionis, & tamen non valet. Secundò, quod ille textus loquitur quando venditor aliter non alienaret: ita probat ibi text. dum dicit, *non alia lege jus suum transferre passus est*: & ista solutio est de mente aliquorum DD. ibi. Sed non placet, quia idem possemus semper dicere & praesumere, quando apponitur pactum de non alienando. Tertio, quod ille textus intelligatur secundum alia jura, quod ibi valet pactum, ut agatur ad interesse, si contra fiat; non verò ut impediatur alienatio: ita tenet ibi Glossa ordinaria, Cin. Bald. & Salycet. & tenet Bart. Alberic. in leg. *N. mo*. ff. de Pact. Cin. Bart. Alberic. in leg. *Ea lege*. Cod. de Condict. ob caus. & hanc dicit communem opinionem & solutionem Alexand. in leg. *Filius familias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. 6. col. num. 16. Sed certè ista solutio non videtur vera; quia videtur aperte contra mentem & verba illius legis; nam ibi Justinianus decidit casum novum, de quo apud Veteres dubitatur, & non erat decisus: sed casus & intellectus praedictus communis jam erat decisus per plura jura antiqua supra allegata. Undè sit quarta nova & vera solutio, quod ille textus intelligatur, quando quis prohibetur alienare vel aedificare in gravem & duriosem causam, per quam res eximatur de humano commercio, & efficiatur difficilis vel impossibilis recuperationis; ut putà, ne liceat aedificare in ea Monumentum, Ecclesiam, vel Hos-

pitale, vel ut non liceat eam praedictis locis alienari: quia tunc lex illa novissimè vult quod impediatur ejus alienatio, vel aedificium: Et istum intellectum aperte tenet Bald. in dict. leg. *Ea lege*. Cod. de Condict. ob caus. 1. col. num. 1. & ibi Angel. 1. col. post med. idem Bart. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligat. 2. col. num. 4. & ibi Aret. & Imol. 1. col. Jas. 10. col. Ex qua solutione vera & communi infero singulariter, quod si vendo tibi fundum vel aream tali pacto, ut non aedifices ibi castrum vel fortalitium, tale pactum valet & tenebit, ut debeat praecise servari; & si contra facias, poteris cogi tuis sumptibus demoliri, nec liberari poteris solvendo interesse: quia talis fundus vel area cum tali aedificio censeretur irrecuperabilis, & quodam modo exire à commercio communi: Et in expressò, ita tenet solus Bald. & est nova investigatio, in dict. leg. *fin*. Cod. de Pact. inter emptor. & venditor. 1. col. in med. versic. *Sed pone*.

Advertendum tamen, quod licet sit verum, 18 quod per contractum & conventionem partium non possit impediri vel prohiberi alienatio, ut supra conclusum est; tamen in aliquibus casibus bene potest dari forma & modus per quem possit impediri & prohiberi. Primus est, quando ille, cui est facta promissio de non alienando aliquam rem, reservat sibi aliquod jus in ea; ut si quis per contractum vendit, donat, vel quovis alio titulo in alium transfert aliquam rem, pacto apposito, quod non possit alienari, & pro observatione illius pacti & conventionis imponitur jus hypothecae in eadem re: vel aliter aliquo modo prohibetur alienare: (l) & si de facto alienetur, impeditur domini translatio: Istam sententiam & conclusionem probat text. singularis & unicus in jure in leg. *Si creditor*. §. *fin*. ff. de Distract. pignor. ubi dicitur, quod si creditor qui habet pignus vel hypothecam in re debitoris sui, fecit pactum cum debitore, ne liceat debitori illam rem vendere vel alienare; non poterit aliquo modo alienari: (m) & ibi tenet Bart. Angel. Fulgos. & communiter DD. & illum textum reputat singularem & unicum Bald. ibi: & illum textum ad hoc notat etiam & commendat Bart. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligat. 2. col.

(l) Vide Gregor. idem tenentem in leg. 19. tit. 8. part. 5. gloss. magn. Gutier. in leg. *Nemo potest*. num. 157. & num. 28. ubi istum casum late prosequitur Azeved. in leg. 11. tit. 6. lib. 5. Recopil. num. 28. Orosco. in leg. *pen*. num. 11. ff. de Pact. Gom. de Leon. in Centur. informat. factio 59. (m) Quam interpretationem confirmat aperte lex penult. Cod. de Rebus alien. non alienand. & ex ea plura utilia & notatu digna deducunt Gom. de Leon. in Centur. informat. factio 59. num. 38. Gutier. in repetit. leg. *Nemo potest*. à num. 38. de lib. 1.

2. col. num. 3. & ibi Angel. 1. col. Paul. 1. col. 2. oppos. Imol. 2. col. Aret. 1. col. Jas. 7. col. num. 39. illum etiam notat & commendat Angel. Imol. Jas. & alii DD. in leg. Qui Roma. §. Cohæredes. eod. tit. notat etiam & commendat Bart. Angel. Paul. & Jas. in leg. penult. ff. de Pact. & illum textum ad hoc notat etiam & commendat Bart. in leg. Qui absent. §. 1. in fin. ff. de Acquirend. possess. & ibi reputat singularem & unicum Paul. Imol. Roman. & Alexand. Notat etiam & commendat Bart. in leg. Ea lege. Cod. de Condict. ob caus. 1. col. num. 4. & ibi Angel. Bald. & alii DD. Notat etiam & commendat Bart. in leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de Legat. 1. num. 14. & ibi reputat singularem & unicum Joan. de Imol. 3. col. Notat etiam & commendat Abbas in cap. Raynaldus. de Testament. 4. col. num. 2. idem hodie disponit lex nostra Regia fin. tit. 5. §. 5. part.

Ex qua sententia & conclusione primò infero, quòd si proprietarius promittat fructuario non vendere vel alienare; prohibetur & impeditur ejus alienatio: ita Alexand. in dict. leg. Qui absent. §. 1. ff. de Acquirend. possess. 2. col. Secundò infero, quòd si quis habet aliquam servitutem realem in re vel fundo, valet pactum & conventio, quòd dominus fundum servientem non alienet. Tertio infero, quòd si in casu legis Emptorem. Cod. Locat. fiat pactum de non alienando, prohibetur alienatio.

19 Quartò inferitur, quòd ex prædicta causa & ratione, si in aliqua re sit constitutus census vel emphyteusis, directus dominus non potest vendere rem in qua tale jus est constitutum: text. est in leg. fin. Cod. de Jure emphyt. & ibi communiter DD.

Superiorem tamen conclusionem intellige, quando jus pignoris vel hypothecæ esset specialiter constitutum in illa re prohibita alienari; non autem sufficeret generalis obligatio bonorum: ita probat text. in dict. leg. Si creditor. §. fin. & ita tenet & declarat Bart. in leg. Qui absent. §. 1. ff. de Acquirend. possess. & ibi Joan. de Imol. & Aret. & Joan. de Imol. in leg. Si ita quis. §. Ea lege. de Verbor. obligat. & ibi Aret. & Jas. 9. col. num. 33. Alexand. in leg. Si filiusfamilias. §. Si vir. ff. Solutio matrimon. 2. col. Anton. Nebric. de Fano in tractat. de Pignor. 3. fol. num. 5. ubi dicit, hanc esse communem opinionem. Facit text. in leg. Ab eo. Cod. de Servo pignori dato manumisso. ubi, debitor qui generaliter bona sua obligavit, potest dare libertatem servo; secus verò si specialiter & expressè aliquis servus sit pignori datus vel obligatus: text. est in leg. 1. ff. de Manumis. text.

in leg. 4. ff. Qui & à quibus. text. in leg. Est differentia. ff. In quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. conclus. Secundò facit text. Glossa & communis opinio in leg. 1. in fin. Cod. de Neces. serv. hered. instit. ubi habetur, quòd licet debitor possit servum necessarium facere & infligere heredem, etiam in fraudem creditorum; tamen hoc est verum; præterquam si specialiter ille servus sit pignori datus vel obligatus; quia tunc non potest. Tertio facit, quia hypotheca specialis aliquando plus efficit quàm generalis: text. est unicus in jure secundum Bald. & DD. ibi, in leg. 2. Cod. de Pignor. Quarto facit, quia jus pignoris vel hypothecæ specialis non ita cadit in re aliena, licet postea efficiatur debitoris, sicut cadit quando contrahitur hypotheca generaliter: text. est notabilis, ubi plenè tractat Glossa Bart. & DD. in leg. 1. ff. de Pignorib. Ex quo text. sic intellecto, secundò potest inferri maxima restrictio & declaratio ad text. in leg. Emptorem. Cod. Locat. de qua latè dixi suo loco.

20 Secundus modus subtilis & notabilis est, quando in pacto & prohibitione de non alienando apponitur aliqua clausula translativa possessionis, ut si quis dicat: *Dono vel vendo tibi hoc pacto, ut non liceat alienare: & si ad aliquem actum alienationis perveneris, tunc dominium ad me revertatur, & in eum casum ex tunc constituis te meo nomine possidere*: quo casu statim cum inceperit alienare, concedens qui prohibitionem fecit, efficitur dominus & possessor virtute illius factæ traditionis; & hoc, argumento text. in leg. Quod meo. ff. de Acquirend. possess. & in specie, argumento text. in leg. Qui absent. §. 1. eod. tit. ubi dicitur, quòd dominium & possessio potest sub conditione transferri: facit etiam text. in leg. Quidam testament. ff. de Fideicom. liber. & per ista jura istam sententiam & conclusionem tenet Bart. qui singulariter loquitur in dict. leg. Qui absent. §. 1. ff. de Acquirend. possess. 2. col. in fin. num. 3. & ibi Imol. propè fin. Paul. de Castr. 1. col. propè fin. Aret. 2. col. Roman. ibi, 1. col. post princip. Alexand. 2. col. post princip. tenet etiam notabiliter Jacob. Butr. in leg. Ea lege. Cod. de Condict. ob caus. 2. col. 1. quæst. versic. Quæro. & ibi Petr. de Bellapertic. penult. col. in fin. Alberic. 2. col. in princip. dicens, quòd ita sepè consuluit, & quòd verum est, & utile consilium: & allegat, idem ante omnes ibi tenere Odofred. & Jacob. de Aret. tenet etiam Salycet. ibi transitivè, 6. column. 2. quæst. principal. dicens, quòd iste est tutior modus cæteris. Istam etiam conclusionem tenet Bart. in leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de

Legat. 1. penult. col. num. 14. & ibi Jas. 1. lect. 14. col. num. 63. Joan. Faber in leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alienand. (n)

21 Advertendum tamen, quòd contra hoc videtur mihi nova & subtilis difficultas, cui videtur non posse responderi: Nam iste modus & forma prohibitionis solum habebit locum, durante vita prohibiti, & obligati non alienare; non verò durabit post mortem ejus: quòd probatur sic. Constitutum ejus virtus, & effectus nihil operatur, imò extinguitur post mortem constituentis; cum illo tempore nulla sit apud eum possessio, quam possit nomine alterius habere; argumento text. in leg. Cum hæredes. de Acquirend. possess. & in leg. 1. §. Scavoia. ff. Si quis testament. liber. esse jus. fuer. & probat apertus text. in oratione, in leg. Quod meo. de Acquirend. possess. Facit etiam notabiliter doctrina & theoretica Glossæ ordinariæ in leg. Quamvis. §. Si conductor. ff. de Acquirend. possess. per quam in expressò hoc tenet ibi Angel. Cuman. & Alexand. de quo latius dixi in materia possessionis: Ergo iste modus & forma prohibitionis non habebit vires post mortem prohibiti; cum illo tempore extingatur virtus & effectus constituti. Sed huic difficultati aliquibus modis potest responderi. Primò sic: quòd iste modus & forma prohibitionis solum valet & habet effectum in vita prohibiti; nam si ad actum alienationis perveniat, impediatur alienatio, & statim transeat dominium & possessio in eum, qui fecit prohibitionem, & tantum in isto casu procedat & possit verificari superior sententia & conclusio Bart. &

communis: sed mortuo prohibito, ille modus & forma prohibitionis nihil operatur, per rationem prædictam inconvincibilem: Undè, si hæres ejus alienet, non impeditur alienatio & translatio domini, licet ex persona & obligatione defuncti teneatur ad interesse: Et est nova & maxima modificatio & limitatio ad prædictam communem opinionem, quam ab aliquo tactam non reperio. Vel aliter & secundò potest dici, quòd imò iste modus & forma prohibitionis duret perpetuò, & transeat ad hæredes, & virtus & effectus ejus afficiat rem etiam post mortem prohibiti: & hoc tali consideratione; quia illud pactum & obligatio de non alienando, & similiter pactum & promissio constituendi se nomine alterius possidere, si pervenerit ad aliquem actum alienationis, obligat hæredes & successores, sicut se: undè quando ipsi procederent ad actum alienationis, statim virtute prædictæ obligationis videntur se constituere nomine alterius possidere, imò non possent illam possessionem quaerendam alteri invertere; argumento text. in leg. fin. Cod. de Acquirend. possess. Sed attende, quòd ista responsio & solutio non videtur vera nec concludens; quia ille textus loquitur in propria & actuali possessione, quæ est jam quæsitæ domino in re quæ detinetur à servo, colono, vel inquilino suo, in qua non potest sibi fieri præjudicium: sed in nostro casu non est quæsitæ possessio ipsi prohibenti, sed agitur de quaerenda per constitutum in casu alienationis.

Sed virtus & extremum constituti cessat post mortem.

(n) Hanc etiam sententiam communem testatur Oros. in leg. Nemo. col. 954. versic. 20. ff. de Pact. Azeved. in leg. 1. tit. 6. lib. 5. num. 11. quòd ut majorem firmitatem habeat talis alienationis prohibitio, dicat donatarius, (cujus favore & in quem fit donatio, seu contractus & alienationis prohibitio) ita se promittere, & pro contractus observatione omnia sua bona obligare specialiter quoad res donatas & in contractu contentas: nam hoc casu non solum alienatio impediatur, sed & contra tertium tenentem res agi directa via potest, ut restituat. Quòd sic fieri, verè tenet Suar. in leg. Post rem. versic. Que las complades. quæ est prima limitatio num. 10. ff. de Re judicat. Jas. in §. Divi. 1. lectur. num. 91. & in leg. Si ita quis ea lege. ff. de Verbor. obligat. num. 4. & Gregor. in leg. 19. tit. 8. part. 5. glossa magna in princip. col. 2. usque ad finem 19. & in leg. 43. tit. 5. part. 5. Fanno de Pignor. 1. membr. 2. part. num. 5. cum duobus sequentib. & facit lex fin. tit. 5. part. 5. idque etiam tenuit Molin. lib. 1. cap. 2. num. 35. & vide etiam Azeved. in leg. 11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. num. 11. in fin. qui simul cum Oros. in leg. Nemo. §. de Pact. col. 955. in med. Tell. in leg. 27. Taur. num. 1. ad fin. Molin. dict. leg. 1. cap. 12. num. 31. & 32. asserit, communem sententiam, alienationis prohibitionem in contractu positam annullantem locum non habere quoties in contractu fit rerum in eo contentarum vinculum per viam Majoratus: nam tunc prohibita alienatione, erit efficax prohibitio, ut alienatio non valeat, neque dominium transferatur, eo quòd in successorem dominium & possessio transfertur, mortuo possessore alienante, ex leg. 45. Taur. ubi rationes suprà allegati reddunt, præsertim Molin. ubi suprà, quo casu potest statim successor vocatus petere alienationem illam revocari.

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

mortem promissoris: Ergo ad hæredes non transit; maxime quod text. *in dict. leg. fin. in 2. part. in versic. Sin autem.* aperte dicit, quod illa dispositio tantum habeat locum in possessione quasita; secus vero in quærenda; quia in ea bene possunt illæ personæ domino præjudicare: facit etiam text. cum materia, *in leg. Si quis societatem contraxerit. ff. Pro socio.* Vel aliter & tertio, & valde subtiliter potest dici, quod iste modus & forma prohibitionis indistincte sit verissima & perpetua, & transeat ad hæredes; nam licet constitutum virtus, & effectus ejus non transeat ad hæredes, sed extinguatur morte constituentis; tamen illaabilitas, potentia, & extremum constituti, quod aderat in ipso contrahente prohibito alienare, à principio & ipso instanti afficit rem illam, ut amplius non possit alienari: & constitutum fuit quoddam jus reale impeditivum alienationis, quod perpetuo durat, & transit ad successores; licet illaabilitas, qualitas, & extremum constituti non duret post mortem prohibiti: argumento text. juncta Glossa singulari, & declaratione Bald. & communi *in leg. 3. Cod. de Usufructu.* ubi habetur, quod licet requiratur patria potestas ad hoc ut pater possit habere usumfructum in bonis filii; tamen sufficit, quod illa sit à principio tempore acquisitionis, non autem requiritur in duratione vel continuatione: facit etiam text. *in leg. fin. Cod. Ad Tertyl. & ibi Bart. & communiter DD. in leg. fin. Cod. Commun. de success.* text. *in leg. Quod scitis. Cod. de Bonis qua liber. text. in leg. fin. §. Filius autem. eod. tit. text. in leg. Si is qui animo. ff. de Acquirend. possess.* text. *in leg. Item illa. ff. de Constitut. pecun. text. in Authentic. de Hæred. ab interest. venien. collat. 9.* Sed advertendum, quod similiter ista responsio & solutio non videtur vera nec concludens; quia illa jura procedunt & loquuntur, quando jus, de quo tractatur, est jam perfecte quasitum parti; unde, si illo tempore acquisitionis ille actus habuit sua essentialia non vitatur, licet illa non durent: Sed in nostro casu actus constituti non est consummatus, nec ex eo est quasitum contrahenti jus possessionis; sed pendet ejus virtus & effectus in tempus existentis conditionis: sed illo tempore deficiunt sua essentialia & extrema: ergo cessat virtus & effectus ejus. Pro quo facit: quia si actus est conditionalis, & conditio verificatur re jam perempta, non trahitur retrò; quia deficit extremum habile: text. est *in leg. Necessario. versic. Sanè si pendente conditione. ff. de Peric. & commod. rei vendit. ubi, si conditio contractus extiterit re perempta, non trahitur retrò. Vel aliter & quarto potest di-*

ci, quod iste modus prohibitionis indistincte sit verissimus & perpetuus, & transeat ad hæredes ratione constituti; quia quando contractus, in quo ponitur constitutum, fit sub conditione, quæ de necessitate secundum juris dispositionem debet retrahi, & illa conditio adimpletur, modo in vita, modo post mortem constituentis, sicut retrahitur ipse principalis contractus, ita etiam retrahitur constitutum, virtus, & effectus ejus: ita determinat Oldrad. *consil. 139. 2. col. versic. Tertium erit* Philipp. Dec. *in Regul. Contractus. 9. col. num. 12. de Regul. jur.* Sed istud etiam reprobavi in materia possessionis, in actu ficto clausulæ constituti, quam pono *in leg. 45. infra eisdem legib. Taur.* ubi omnino vide. Unde teneo primam solutionem, & modificationem, quam posui in isto articulo.

Tertius modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est per judicis decretum & auctoritatem: Unde, si fiat contractus inter partes, & pactum de non alienando, & judex confirmet talem contractum, & auctoritate & decreto suo interdicit alienationem, impediatur alienatio; argumento text. *in leg. Julianus. ff. de Curator. furios. & quasi per totum text. in leg. Si sciens. ff. de Contrahend. empr. text. in leg. Is cui bonis. cum materia, ff. de Verbor. obligat. & argumento optimi text. in leg. Judicem. ff. Commun. divid. text. in leg. Divus. ff. de Petit. hæred. in princip. per quæ jura ita tenet Petr. de Bellapert. *in leg. Ea lege. Cod. de Condit. ob caus. penult. col. in fin. Alberic. 3. col. in princip. Aret. in leg. Si ita quis. §. Ea lege. de Verbor. obligat. fin. col. in fin. tenet etiam expressè Bart. in leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de Legat. 1. penult. colum. num. 6. licet corruptè alleget dict. leg. Julianus. tenet etiam Bald. in leg. fin. Cod. de Pact. inter emptor. & venditor. 1. col. & quest. Contrarium tamen & melius tenet Bald. in dict. leg. Ea lege. fin. col. & quest. Salycet. ibi fin. col. & quest. Imol. in dict. leg. Filiusfamilias. §. Divi. de Legat. 1. 3. col. post princip. & melius ibi Alexand. 6. col. num. 19. Jas. ibi 14. col. num. 66. qui bene loquitur, Cin. in leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alienand. 1. col. num. 3.**

Et hoc tali fundamento; quia ex sententia & decreto judicis non transfertur dominium in aliquem sine actuali traditione, ut notatur latè per omnes *in leg. Pomponius. §. Si jussu. ff. Acquirend. possess.* maxime per Aret. ibi, 3. col. num. 9. qui dicit, hanc esse communem opinionem: & ibi Roman. 3. col. in princip. Alexand. 3. col. num. 9. & in expresso tenet Glossa notabilis & ordinaria *in §. fin. Instit. de Offic. jud.*

jud. in glossa fin. post princip. ubi dicit, quod sola sententia non facit quem dominum, sed traditio; quam ibi notat & commendat Angel. de Aret. 2. col. num. 2. & communiter DD. tenet etiam Bart. *in leg. Ex hoc jure. ff. de Justit. & jur. 2. col. num. 2. & ibi Paul. penult. col. num. 12. & ibi latè Jas. 6. col. num. 44. Bald. in leg. 1. 2. col. num. 5. Cod. Commun. utriusque judic. & ibi alii DD. Confirmatur etiam, quia factum judicis & partis æquiparantur, ut *in leg. Non est mirum. ff. de Pignor. action. & in leg. Si ob caus. Cod. de Eviction.* si ergo auctoritate & sententia judicis non transfertur dominium sine traditione, sequitur, quod sola judicis auctoritas non potest impedire translationem domini. Nec obstant jura superius allegata; quia loquuntur & debent intelligi, quando prohibitio judicis fit cum legitima causa & à jure approbata, puta si quis est prodigus & dissipator bonorum, ut *in leg. Julianus. de Curator. furios. cum similib.* vel propter litis pendentiam, & aliquam suspicionem, ut *in leg. Divus. ff. de Petit. hæred. vel propter suspicionem fugæ debitoris; quo casu sicut potest fieri sequestratio bonorum mobilium, ita potest fieri interdictio alienationis bonorum immobilium: text. est singularis & unicus in leg. de Pollicitationib. in fin. ff. de Pollicitat. ibi: aut prohibebunt distrahi fundum, quem in territorio Gabinorum habet. & ad hoc notat & commendat ibi Bart. & dicit mirabilem Alberic. & dicit singularem Bald. in leg. Per diversas. Cod. Mandat. 3. col. 9. quest. & dicit unicum Alexand. in leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de Legat. 1. 6. col. num. 20. & notat & commendat Alberic. post Antiquos, *in leg. Si fidejussor. §. Si satisdatum. ff. Qui satisdar. cogant. & ibi Jas. 2. col. num. 8. idem Jas. in §. 1. Instit. de Action. 10. col. num. 8.***

Quartus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est quando apponitur persona cujus contemplatione fit prohibitio; ut puta, si quis donet alteri fundum vel aliquam rem, hoc pacto, ut post mortem vel certum tempus restituatur cuidam tertio, & per consequens post mortem tertii restituatur alteri, & quod talis res vel fundus non possit alienari: nam tunc, in contractu donationis favore exercentis liberalitatem, post mortem vel tempus gravati quæritur actio illi tertio, imò & dominium ejus: text. est singularis *in leg. Quoties.*

Cod. de Donat. qua sub mod. quem notant & commendant ibi DD. & dicit singularem Imol. *in leg. Stipulatio ista. §. Si stipuler. fin. col. in fin. de Verbor. obligat. facit text. in leg. 2. eod. tit. ubi habetur, quod donatio potest fieri ad tempus certum: text. est notabilis in leg. fin. Cod. de Legat. ubi dicitur, quod donatio & contractus potest fieri ad tempus, & similiter legatum vel fideicommissum: Et in expresso pro hac sententia & conclusione est hodiè novissima & singularis *lex 7. tit. 4. 5. part.* quæ disponit, quod si quis donet rem vel fundum alteri usque ad diem vel tempus certum, ut post illud tempus pertineat & restituatur donatori, vel hæredibus ejus, vel cuidam tertio; quod statim illo die vel tempore transacto, dominium & possessio illius rei quæritur ipsi donatori, vel hæredibus ejus, vel illi tertio: & sic est ibi novissima & singularis *lex 7. tit. 4. 5. part.* in contractu donationis potest fieri prohibitio alienationis, quando designatur persona cujus favore fiat prohibitio: imò licet non fiat expressa prohibitio, sufficit quod sit persona cui debeat res donata post tempus restitui; quia tali casu in eam transit dominium & possessio: Unde infertur, quod non potest alienari; & si de facto alienatur, quod veniente casu restitutionis, dominium & possessio transit in eam, & poterit rem vindicare à quocumque possessore: & per illam legem ita tenet & declarat solus Roderic. Suar. *in repet. leg. Quoniam in prioribus. fol. 97. 2. col. in princip.**

Sed advertendum, quod ista opinio aperte est falsa; imò teneo, quod tam de jure communi, quam etiam extante illa lege Regia, in contractu donationis, nec in alio oneroso, vel lucrativo nunquam potest prohiberi alienatio, etiam si designetur persona cujus favore fiat prohibitio, vel post aliquod tempus ei debeat restitui. Et ista est verissima & tenenda sententia: pro qua facit expressus text. *in dict. leg. Ea lege. Cod. de Condit. ob caus.* ubi habetur, quod si quis donavit alteri aliquam rem hoc pacto, ut eam non alienet; non prohibetur alienare, sed tantum tenetur donatori vel hæredibus ejus ad interesse: Sed tali casu semper intelligitur in contractibus persona, cujus favore censetur prohibita alienatio, scilicet ipse contrahens, vel hæres ejus; & tamen hoc non sufficit, ut impediatur alienare, sed tantum

(o) Quam sententiam communem restatur Covarrub. *in cap. Raynaldus. in princip. num. 4. fol. 131. de Testament. Jas. in Authentic. Res qua. Cod. Communia de legat. Suar. allegat. 9. col. 6. & 7. idem Jas. in leg. fin. Sed quia. num. 4. Cod. Ad Trebellian. licet Suar. ubi supra, & in allegat. 19. in med. aliud velit.*